

Orationes tres; de febre intermittente, de variolis et morbillis, et de pharmacia hodierna / In lucem edidit, et praefationem adjecit Edvardus Milward.

Contributors

Drake, James, 1667-1707.
Milward, Edvardus.

Publication/Creation

Londini : W. Meyer, 1742.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xgsthpb5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

20885/P JACOBI DRAKEI,

CELEBERRIMI ANTHROPOLOGIÆ AUCTORIS,

ORATIONES TRES;
DE FEBRE INTERMITTENTE,
DE VARIOLIS ET MORBILLIS,

ET W^m Cole Cantator 1749.

DE PHARMACIA HODIERNA.

IN LUCEM EDIDIT,

ET PRÆFATIONEM ADJECIT

EDVARDUS MILWARD,
MEDICINÆ DOCTOR,

ET SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS
SOCIUS.

L O N D I N I,

Impensis GULIELMI MEYER, Bibliopolæ, ad Insigne
Capitis *Boerhaavii*, in vico dicto *The Strand*.

M.DCC.XLII.

4/11/06
A. W. M. 1846
Dra

5200
m/2

14427



CLARISSIMO, DOCTISSIMO,
ET
ORNATISSIMO
VIRO,
RICHARDO MEAD,
MEDICINÆ DOCTORI,
ARCHIATRO REGIO,
COLLEGII REGALIS MEDICORUM
LONDINENSIS,
ET
SOCIETATIS REGIÆ APUD LONDINENSES,
SOCIO.

M IHI has Viri Celeberrimi O-
rationes in lucem publicam
emittenti, haud diu hærendum fuit,
Spectatissime Vir, Cujus potissimum
b Nomi-

Nomini illas consecrarem. Sub Cujus enim Patrocinio meliùs prodeant, quàm sub TUO, qui, ut pro eximio quo TE pollere scio Judicio, TUTE disertissimè scribere, sic de Scriptis etiam aliorum optimè dijudicare queas? Aut Cui feliciùs eas inscribere possim, quàm TIBI, qui Literis ipse exercitatissimus, omnium Literatorum Patronum atque Amicum TE semper adhibuisti; & qui Me præcipuè Beneficiis tuis TIBI adeò obstrinxisti, ut nihil prius aut antiquius habuerim, quàm ut aliquid Clarissimo TUO Nomini dicarem, quod grati Animi mei sensum testatum faceret?

SATIS

SATIS perspectum habui Ingenium
 tuum, Vir Ornatissime, ut Studiis Hu-
 manioribus deditum sit. Satis novi, ut
 Musas politiores cum Medicinâ con-
 junxisti; & quùm DRAKEUS
 NOSTER his ipsis Studiis eminens
 fuit, quibus TU tantoperè delectaris,
 scio TE non posse non esse Nominis
 Ejus Æstimatorem observantissimum.
 TUUM itaque est discernere, quantum de
 Medicinâ, & Romanâ Facundiâ pro-
 meruit Auctor noster, qui in Utrâque
 præter cæteros adeò excelluisti.

LICET

LICET is non sim, Vir Præstantissime, qui ignorem, Ægros non Eloquentiâ, sed Remediis curari, uti notat CELSUS, ille Medicorum CICERO; haud possum tamen, si eundem CELSUM imitarer, quin credam, & HIPPOCRATEM & ERASISTRATUM, quibus addam FERNELIUM, LINACRUM, CAIUM, FRIENDIUM, & quicumque alii, non contenti Medicinam factitare, Sermonis quoque Elegantiæ ex aliquâ parte se addixêre, non ideo quidem Medicos fuisse, VERUM IDEO QUOQUE MAJORES MEDICOS EXTITISSE. Talibus quippe factum est,

ut Medicina dulcissimo, & excullo Romanæ Eloquentiæ ore loqueretur. Taliū perlectione cū Voluptate, tum Utilitate fruimur ; & dum bonitas Præceptorum Sermonis castitatem Ingeniis cultioribus gratiorem reddit, Sermonis vicissim castitas Præcepta ab interitu vindicabit.

IN horum Scriptorum numerum, tam Facundiâ, quàm Arte suâ insignium, TE meritò reponendum esse, Quis est qui non fatebitur ? TU Studia Elegantiora cum severioribus sociasti. TU Literas politiores cum Medicinâ in concordiam redegisti, atque vetus istud falsitatis convicisti, OPTIMUM

MUM THEORETICUM, PESSIMUM PRACTICUM ESSE. Sed longè à Me fit, Vir Ornatissime, ut TUAS Laudes hîc concelebrarem. Quorfus enim spectat, laudare Virum, omni laude majorem; aut illum Præconiis ornare velle, quem Nemo cum ratione vituperavit?

NON possum tamen Mihi temperare, quin subjungam, quòd si Literarum Cultor assiduus, & omne genus Lectione ornatissimus esse; si Intima Artis Apollineæ penetralia subiisse; si continenter pro salute publicâ occupari; si longo usu atque Exercitatione perfectissimus fieri; si Morbis felicissimè mederi; aut si Animi denique candore,

& singulari Morum simplicitate atque integritate excellere, dilectum quempiam reddere possint, TU certè doctis atque bonis omnibus dilectissimus eris.

PERGE, Vir Celeberrime, salutaris nostræ Professionis Famam atque Dignitatem confirmare : perge eam quam apud Homines meritò tenes Existimationem sustinere : perge cultos atque probos Viros demereri; & faxit DEUS, OMNIPOTENS RERUM PATER, ut florens, valens & incolumis per longam Annorum seriem conserveris. Maturè TIBI, cùm Morbis afflicteris, succurrat SUMMUM NUMEN, qui tam maturo & prudenti

Confilio aliorum Morbis opitularis;
 & plusquàm ad NESTOREAM
 ÆTATEM T^E perducatur, cum illi-
 batâ fanitate, qui in aliorum fanitate
 vel tuendâ, vel recuperandâ totus es.

VALE, & Artis & Sæculi tui Decus
 egregium; & in Clientelam tuam re-
 cipere ne dedigneris,

Virtutum, atque Eruditionis tuæ

Veneratorem Studiosissimum,

EDVARDUM MILWARD.

Dabam Londini,
 Menſe Maio,
 Anno M.DCC.XLII.

P R Æ F A T I O

A D

L E C T O R E M.

HAUD *Opus est, Lector Benevole, ut multus sim in commendando Auctore, instar Vini veteris atque boni, Hederâ non indigente. Hospes sit in Medicinâ necesse est, Cui non innotescit DRAKEI Nomen; tanta est ea, quam Libris suis eximiis conciliavit Fama; tanta illius apud Literatos omnes Estimatio!*

QUINTUS jam præteriit Annus, ex quo
 doctissimæ hæ Orationes, De FEBRE INTER-
 MITTENTE, De VARIOLIS & MORBILLIS,
 & De PHARMACIA HODIERNA, (quarum illa
 Anno 1690, pro gradu BACCELAUREATÛS,
 atque hæ Anno 1694, pro gradu DOCTORA-
 TÛS in MEDICINA, in Scholis Medicis CAN-
 TABRIGIÆ publicè habitæ erant) Amici cujus-
 dam donatione, in manus meas venêre. Et ut
 Auçtoris Nomen, atque ipsarum Orationum Ele-
 gantia, vel ad decies repetitam lectionem Me in-
 vitabant, ita vix cum nonnullis, judicio atque
 eruditione præstantissimis viris, eas nuper com-
 municavi, quin ad illas edendas me strenuè soli-
 citârunt. Quâ quidem in re Nos lubentiores de-
 dimus, partim ut Opuscula, Cedro dignissima,
 ab interitu sic conservaremus; & partim ut
 alios Hujus Viri præclarissimi exemplo, ad Ro-
 manæ Eloquentiæ studium provocaremus; quod
 vel eò optabilius est, quò tam pauci in hac pro-
 vincia excelluêrunt. Rupes est Latialis Sermo,

in

in quam Naufragium fecére innumerorum, cùm Medicorum, tum aliorum Rates, qui hoc altum Mare velis suis tentârunt. Ut salebrofa enim existit ad Athenas Via, ita non minùs scopulosa videtur ad Latina Littora Navigatio. At nostrum Auctorem tam excellentem fuisse puto, ut paucos quos Ei jure præferres Britannia unquam tulit. Adeò de Latinitate benè meritus est, ut Eum ad CELSI propè Elegantiam accedere existimeris : adeoque, ut de CELSO dictum, Ingenium sic ad omnes scientias versatile habuit, ut ad id unum à Naturâ formatus videretur, quod Vir præstantissimus tractare constitisset.

QUANTUS Vir fuit in Medicinâ atque in Anatomicis, probavit ejus ANTHROPOLOGIA, cunctorum applausu avidissimè excepta, atque miris laudibus prædicata; & quàm Scriptor fuit Eloquentissimus, testantur hæ ipsæ ORATIONES, si vel Mentis Acumen, vel Ingenii Leporem, vel Dictionis Nitorem, Elegantiam, Ornatum, vel
Casti-

Castitatem spectes ; (paucis tantummodò exceptis, quæ cùm Auctor ipse Has Orationes cum Literato Orbe non communicaverat, nec summam fortasse Manum iis imposuerat, faciliùs Illi condonanda.) Cùmque Juvenis admodùm erat, Hic Augustei sæculi scriptorum Æmulator, quid non ab eodem SENE, atque EXERCITATO sperandum esset ? Quàm lætas Segetes, ex tam felici Seminatione non videremus, modò Vitam longiorem DEUS OPT. MAX. Illi concessisset, qui longissimâ dignus fuit ; sed qui è Mortalium cætu, non sine magno Medicæ Reipublicæ damno, immaturâ morte eripiebatur !

DE Tanto quidem Auctore plura dicere possem, nisi de Illo, in eâ quam meditor MEDICORUM BRITANNICORUM HISTORIA, fusiùs agere constituiissem ; atque Hæc quàm vera sint, non tam ex Meâ, quàm ex Ipsius Oratione Te discere maluissem. Tuarum itaque partium est, Lector Benevole, uti Opusculis, non vanæ Gloriolæ alterius sumptu aucupandæ,

non Auræ popularis captandæ, sed Tuo potissimum Commodo consulendi studio, in lucem editis; quæque impensè placitura nullus dubito, modò Aures Tibi Latinæ, atque Eruditæ sint.

ERRATA.

Pag. 4. lin. 11. }
5. lin. 18. } pro { Corporis, }
14. lin. 11. } { Reperatâ, } lege { Corpori.
 } { Immeditè, } { Reparatâ.
 } { Immediatè.

DE

D E

FEBRE INTERMITTENTE O R A T I O.

DE Febrium Intermittentium causis & ortu varia olim fuit, ac nunc est inter doctos disceptatio. In tantâ autem sententiarum varietate, ne unam quidem, quæ omnibus hujus morbi symptomatibus rectè solvendis sufficeret, & praxi jamdiu feliciter expertæ conveniret, mihi hætenus videre contigit.

QUÆ igitur nobis hunc scopum attingere visa sunt, quam possumus paucis exponemus. Quod ne ἀμεθοδῶς aggrediamur; hujus Febris symptomata maximè naturalia, & familiaria priùs sunt proponenda, quàm ad eorum explicationem accingamur.

B

Ex

Ex his Paroxyſmorum intermiſſio, & ſtatis periodis recurſus primum obtinent locum, maximasque inter doctos in eorum explicatione lites concivère. Notandum proximò, plerofque hoc morbo correptos primùm frigefcere, & cum forti concuſſione horrefcere, & rigere; ægrotare, vomiturire, pulſum habere rariorem, debiliorem, minorem; deinde incaleſcere vehementer, ſitire, linguas areſcere, Pulſum habere frequentiore, vehementiore, majorem; atque hæc omnia, ſudore largiùs erumpente, cum Paroxyſmo ſimul evaneſcere, & ægrum ad ſequentem uſque Paroxyſmum rectè, niſi quòd vires aliquantulum proſternantur, (quod à ſudoribus uberioribus ſemper ferè accidit) valere.

HIS præmiſſis, ſtatuimus materiam Febris eſſe Bilem flavam, cauſam verò relaxatum fibrarum annularium in ductu communi tonum, quo evenit, ut plus juſto Bilis unâ vice depluat in Duodenum, indèque furſum ac deorſum ad Ventrículum & Inteftina feratur. Neque verò harum fibrarum ſolùm, ſed totius etiam corporis habitus remiſſior eſſe videtur; ſed quòd earum
vicio

vitio fluxus iste tam profusus Bilis accidat, ideo eas propiùs attingere visa est.

HÆC Bilis quæ tam copiosè ab Hepate per hunc ductum profunditur, particulis constat sulphureis, salinis, † &c. quarum aliæ calidæ & acres, aliæ rigidæ & acutæ sunt. Si cui autem hæc à GLISSONIO defumpta Bilis descriptio minùs placeat, sive aliam de suo malit, seu alterius cuiuspiam, id saltem nobis concedat, quod omnibus compertum est *scil. esse humorem fervidum, amarum, acrem, & pungentem*; nec ultra petimus.

BILIS igitur hoc modo per vitium dictarum fibrarum admissa in Ventriculum & Intestina, & in eorum tunicas impacta, tam quantitate, quàm qualitate molesta magnas statim turbas, & dolores cum summâ ægritudine ciet. Bilis ergo sic per mediam Ventriculi tunicam diffusa fibrillis nerveis ob viscositatem ejus tenaciter adhærens, eas obstruit, ac salium aculeis stimulando contrahit. Hæc autem contractio partibus cæteris per nervos Ventriculi impertitur, præcipuè au-

B 2

tem

† Glisson. de Hep. Cap. 38.

tem Cerebro, inter quam partem & Ventriculum summa intercedit familiaritas, & per quam (mediatè forsan) cum reliquo corpore consentit. Propter hanc nervorum contractionem, non ita liber ac antea spiritibus patet exitus, qui ad circulationem sanguinis promovendam, & calorem corporis conservandum lege solitâ erat necessarius. Hinc sanguinis ob spirituum inopiam tardior motus, & pulsuum insignes differentiæ oriuntur; unde frigus etiam, & rigor totius corporis inducitur. Spasmi etiam à spiritibus quibusdam turbidè propter hæc impedimenta erumpentibus excitantur. Vomituriendi autem conatus, quem in hujusmodi affectibus ferè semper experimur, fibrarum Ventriculi irritationi, à salium stimulatione ortæ debetur. Quòd autem frustra ut plurimum fit, ob Bilis tenacem naturam accidit; cujus visciditas priùs epoto liquore aliquo diluenda est, quàm ejici sursum possit. Quod quidem si fiat, aut in totum tollitur Paroxysmus, aut multum minuitur. Sin proprio nisu deorsum, vel quoquo alio modo Ventriculus expulerit, insequitur totius corporis ardor summus; quia particulæ Bilis acres, quæ, dum junctis viribus in Ventriculum agerent, Spiritus obru-

obruerunt, in Sanguinem nunc receptæ per venas, aut vasa Lactea, ejus particulis involutæ diluuntur, ac ab invicem separatæ cum cruore per totum corpus distribuuntur, Spiritusque, quos antea opprefferant, leviter nunc stimulando eliciunt, eoque calorem augent. Siccitas calorem premit necessarius fatelles, eumque fitis, ab halitibus acribus per os elevatis; inde etiam & Lingua arefcit, & albescit. Bilis autem dum per corpus cum sanguine circulatur, ubique ut patet exitus, per patulos corporis poros erumpit; atque tota tandem aut in Cystin propriam recolligitur, aut sub formâ fudoris effluit. Hinc instans finitur Paroxyſmus, & æger, niſi quòd vires aliquantulum proſternantur, ob fudores copioſos, & in eis ſpirituum diſpendium, rectè valet per totum intervallum; quod eò uſque durat, donec reperatâ iterum Bile, vasa ad excretionem turgescant. Quod ubi fit renovatur Paroxyſmus, & acta reagitur Tragœdia.

QUOD autem ſtatis & certis temporum intervallis periodicè revolvatur, hinc eſt, quòd ad certam & determinatam Bilis quantitatem recolligendam, qualis ad debitam vaſorum felleorum
2
intumeſ-

intumescantiam erat necessaria, certum etiam & determinatum temporis spatium requiratur. Atque hinc etiam veras Intermittentium differentias, Quartanarum *scil.* & Tertianarum, &c. peti debere arbitror. Quippe quò major est fibrarum imbecillitas, eò major eàdem vice fellis profusio; atque exindè (quod in Quartanis plerumque accidit) Paroxyfmus violentior. Quò verò majus Bilis dispendium est, eò longius postulatur ad reparandum tempus, & quo minus similiter. Atqui hæc Lex non semper obtinere videtur, quia cum aliquibus in Tertianâ, ac etiam Quotidianâ pejùs agitur, ac aliis in Quartanâ. Quin id perinde est ac eorum temperamentum qui ægrotant; quippe quibus Bilis magis scatet, iis deterius cedit; & è contrario. Occurrit etiam & alia huic Legi difficultas, quòd ex Quotidianis & Tertianis, Quartanas fieri, & ex Quartanis, Tertianas & Quotidianas observamus; ac rarò eandem retinere speciem sub fine morbi, quam habuit in initio. Id autem eò evenit, quòd sub initio morbi materia abundet magis, ideoque frequentiùs urgeat; eâ autem per sudores copiosos, aut etiam frequentes sensim immi-

nutâ,

nutâ, vasa tam citò ad eruptionem non intumescant, atque inde majus intercedat Paroxysmorum intervallum. Quòd verò frequentius urgeat accessio febrilis; hinc est, quia per plures effusiones fibrarum robur paulatim atteritur, atque infirmitas augetur; ac perinde tantâ ad erumpendum turgescentiâ non est opus. Atque hæc de Febris Intermittentibus regularibus dicta funto.

OBSERVANTUR autem symptomata quædam, quæ, quia vulgaris notitiæ non sunt, nec omnibus, immò ne plerisque occurrant, pro Anomaliis vulgò habentur. Non quòd hæc legi certæ non pareant, sed quia vel propter observantium ignorantiam, vel inadvertentiam, (Medico enim ægris semper adesse non vacat) mutationum suarum, & cursuum leges æquè facilè non prodant. Hinc factum est, ut quæcunque de trito Intermittentium more deflectere vel minimùm viderentur, Anomalix sunt æstimatæ; unde tot & tam variæ Intermittentium species à quibusdam fictæ, & constitutæ sunt, diversæque curationis methodi singulis assignatæ; quæ tamen una quidem ac
simplex.

simplex est (uti optimè notavit WILLISIUS noster †) ut & curandi methodus.

Ex his Anomaliis (quas vocant) maximam habent difficultatem quoad ingruendi tempus Paroxysmorum variatio, & eorum in eodem die, immò frequenter immediata repetitio; adeò ut succedentis frigus præcedentis calorem non rarò urgeat. Hoc autem indè oriri conjicio, quòd sub initio morbi (quo tempore hoc plerumque accidere solet) propter Bilis redundantiam, & transpirationem per sudores non satis concessam, ob poros Cuticulæ externo forsan frigore aliquantulum constipatos, Bilis quantitas citiùs reparetur, & à tumentibus receptaculis emittatur; per secundam autem sudationem eâ largius evacuata amplius requiratur ad recolligendam intervallum. Huc etiam facere videtur, quòd sequentes Paroxysmi prioribus mitiores & breviores semper sint; quod arguit materiam (quod aiunt) Febrilem ex parte priùs evacuatam fuisse, quamvis propter fibrarum imbecillitatem, etiam hanc quantitate licet minorem retinere non potuissent vasa.

QUOD

† Will. de Feb. P. 64.

QUOD ad typorum variationem attinet, eam (cum WILLISIO †) muliercularum in computatione errori deberi arbitramur, quippe quæ pravè per dies accessionum intervalla metiantur, quod per horas fieri oportuit; unde, si quæ hodiè mane invasit febris, cras sub vesperi ingruat, pro variatione est habitum, idem licèt horarum spatium integerrimè servaverit.

SUNT etiam & alia symptomata quæ, quia rariora sunt, inter Anomalias vulgò numerantur; qualia sunt, Suffocatio (uteri vulgariter credita) Syncope, Tussis, Respirandi difficultas, Arthritis, Mania‡, atque alia quamplurima, quorum hìc meminisse non est locus. Unde autem hæc originem ducant, & quomodo à febre pendere dicantur, operæ fortassè pretium erit investigare.

PRIMÒ igitur Suffocatio, & Syncope ab eadem cum cæteris magis naturalibus hujus morbi symptomatibus causâ ortum habere possunt.

C

Illa

† Will. Feb. Cap. 3. P. 61.

‡ Sylv. Cap. 30. Pag. 249, 250.

Illa quidem dupliciter, primò à nervorum contractione, & impedito spirituum fluxu, unde etiam & Syncope, quare spasmī (ut suprà innuimus) excitantur ; secundò à calore, ob sanguinem in Corde nimis rarefactum, indéque etiam ad Pulmones transmissum, ubi eos per intumescentiam suam distentos tenens, Expirationem impedit, indéque anhelositatem, respirandi difficultatem, & sensum Suffocationis inducit.

TUSSIS à titillatione substantiæ Pulmonum vesiculosæ, ab acribus Bilis particulis illuc cum sanguine unà delatis, provocatur.

ARTHRITIS etiam ab iisdem particulis simul cum sanguine ad Articulos fluentibus, ibidemque in eorum membranīs, ac ligamentis hærentibus procreatur. Acres enim Bilis particulæ Articulorum tunicis infixæ, ex ipsius loci situ, & opportunitate retentæ ibi morantur, & fibrillas lancinando, & terebrando contrahunt, & tumefaciunt ; unde coarctata fibrarum interstitia sanguini per ea circulando inidonea redduntur : hinc relictis particulis crassioribus tenuior solùm pars sanguinis perfluit, atque ita ob continuum incre-

incrementum, tumor in molem elevatur, cum dolore pungente, ac feriente, ob humorum inibi contentorum acredinem.

MANIA, five Infania accidit, quoties particulæ Bilis acres sanguini involutæ sursum in Caput feruntur, ibique in meningibus, & Cerebri corticibus depositæ, easque acutissimi sensûs partes acredine suâ rodentes, Inflammationes pariant, eoque spirituum animalium operationes funditûs pervertant, furores cieant, ægrosque ad Infaniam. Et hæc de hujus morbi anomaliis (vulgò sic dictis) impresentiarum sufficiant; fusiùs enim dicere nostri non est instituti.

SUNT autem & alterius classis symptomata notitiæ non admodum vulgaris, quæ ab eruditis pro criticis habentur; utpote à quorum observatione morbum brevi desitutum conjiciunt, & observârunt. Atque hujusmodi sunt, Icterus, Diarrhœa, Erysipelas, Phlegmone, Exanthemata, aliaque his similia †. Inter has omnes (exceptâ Diarrhœâ) magna est congruitas & similitudo;

C 2

quo

† Will. Feb. Cap. 4. Pag. 63.

quo igitur modo febrem solvant Intermittentem
ostensuri, incipiemus a Diarrhœâ.

QUÆ quidem pro cujusvis humoris per al-
vum fluxu frequenti indifferenter sumi potest,
præcipuè autem hîc intenditur Biliosus, sive
sincerus per se fluat humor iste amaricans, sive
aliis commistus humoribus foràs amandetur;
modò copiosior sit ejus è corpore excretio.
Quod autem feбри Intermittenti solvendæ con-
ferat, sic fit, quòd concessò hujusmodi exitu,
quicquid ex Cysti felleâ Bilis excernitur, deor-
sum trahitur, & dejectionibus frequentibus, &
copiosis, materia morbi multùm minuatur, at-
que exindè vasa Choledocha ad excretionem
rursus per longum tempus non impleantur, &
distendantur; atque ita fibræ antea labefactatæ
interea ferientur, & per otium (quo fruuntur
longo) spiritibus officio suo rectè fungentibus,
ad debitum tonum redeant, & in posterum e-
rumpentis Bilis impetui satis fortiter obsistere
possint.

PROXIMÈ considerari meruit Icterus, olim
circa febrium crises ab HIPPOCRATE no-
tatus;

tatus † ; atque hic morbus idcirco febrem levat, quia materiam ejus à partibus internis in corporis superficiem cogit. Quippe ubi Bilis in calore febrili copiosè sanguini admista, ab ejus amplexibus, & vinculis sese extricaverit, & soluta sit, per sudorem pars ejus erumpit : sin quæ sub Cute reliqua est, cum sanguine iterum ad Hepar non redeat, quin in corporis partibus externis hæreat, speciem morbi efficit, quam Icterus vocamus, itaque supplemento solito destituta Cystis & vasa fellea, flaccescunt ; atque ergo, ut antea dictum est otiantur, & restituntur Ductuum fibræ.

PARI huic modo Critica fiunt Erysipelas, Phlegmone, & Exanthemata iisque similia ; quippe quæ hoc solùm forsan discriminis habent, quòd in his major prædictæ materiæ vis, quæ in illo per totum corpus dispersa erat, in unum, aut plures distinctos locos simul colligatur, eoque acrimoniam suam vehementiùs exerant. Sed quæ, aut qualis sit eorum differentia exactiùs dicere, nostri muneris non est.

Ac

† Aph. Hipp. Sect. 4. Aph. 64.

Ac jam tandem, symptomatibus hujus morbi, tam anomalis, quàm regularibus & Criticis leviter perstrictis, restat ut quæ ad hypothesein nostram necessariò concedenda requiruntur, argumentis quibus possumus fulciamus; ne aut petere principia videamur, aut unà cum illis nostra ruat positio.

POSTULATUM ergo primum est, Consensus inter Ventriculum & Cerebrum, cæterasque partes nervosas; cum his autem utrùm mediatè per Cerebrum, aut immeditè per ipsorum nervorum communicationem fiat, nostri perparrum interest. Hanc autem Ventriculi & Capitis sympathiam quotidiana confirmat observatio affectuum Ventriculi, in quibus semper Caput etiam afficiatur; adeo ut rara sit Cardialgia, quin Cephalagiam comitem habeat, quâ sublatâ, levetur etiam & Capitis dolor.

HUNC autem Capitis affectum à Ventriculo malè affecto oriri, satis demonstrant præsens levamen, & quàm frequentissimè mali penitior fugatio aut à vomitione spontaneâ, aut ab Emeti-

cis tempestivè propinatis ; unde liberato à saburrâ gravi Ventriculo, Capitis etiam gravamen evanescit. Ulteriùs etiam probant subitæ ac celeres à Ventriculi oppressione Lipothymia, quæ, ut pleraque forsan animi deliquia, ob spirituum motum, per Ventriculi affectum, vel turbatum, vel impeditum contingere, satis ostendunt eorum instantanea ab assumptis Cardiacis spirituosius resectio, ac deinceps, si subsequatur vomitus liberalis, absoluta immunitas. Quin etiam hanc partium societatem ampliùs postulant epota frigida ; quæ æquè citò ac in Ventriculum sunt illapsa, frigus & horrores per totum corpus pariunt : Medicamenta etiam Corrosiva assumpta, statim ac in Ventriculum agere ac vires exercere incipiunt, Corpus universum horrore, & rigore tentant, & concutiunt. Sic ergò huic postulato satisfieri posse opinamur.

SECUNDUM autem est, eandem materiam peccantem, scil. Bilem, esse & caloris & frigoris causam, quòd quidem ridiculum videatur, eandem effectuum tam diversorum causam assignare ; atque Bili, quæ ab omnibus (ac meritò) calida audiat, frigus imputare. Siquis tamen
secum

fecum rectè reputaverit Frigus, & Calorem à variâ humorum agitatione, seu spirituum distributione per corpus humanum pendere, ac prout iste motus major aut minor sit, calorem vel frigus induci; atque ergo res tantum comparative calidas, vel frigidas, in quantum motus istos in corpore promovent, aut impediunt, dici posse: ei haud ita absurdum hoc videbitur. Quippe licet Bilis ita à naturâ sit comparata, ut ob partium acrimoniam (ut suprâ dictum est) motui promovendo sit idonea; cum tamen ob visciditatem etiam tenax sit, ubi nimia in quantitate profunditur, ita copiosè fibrillis nerveis adhærescens eas obstruit, & aculeis stimulando contrahit, spirituum fluxum impediendo; & forsan vasa humoribus propria per Nervorum contractionem constringendo, motum eorum multum impediat, & moretur. Hinc frigus, horror, rigor, & somnolentia perfrequens inducitur, quæ eò usque durant symptomata, donec materia istæc viscida à sanguine, qui Circulationis lege fibrarum spatiosa pertransit, diluta eluatur, aut fibrarum nisu excutiat, aut medicamenti ope sursum, vel deorsum exturbetur.

HÆC Opium naturam pensitanti manifestiùs patebunt ; quippe quod (uti nec sapore nec odore Bili admodum abfimile) effectibus, his à nobis Bili ascriptis similibus propiùs accedit. Opio enim majore dosi ministrato, (quod in Canibus aliquoties experti sumus) subsequuntur horror, rigor febrili perquam similis, stupor ; vomitum etiam immanem ob Opium Ventriculo priùs repleto datum semel vidi ; conatum autem vomendi sæpe secutum observavi. In praxi autem vulgari, ubi scopus est somnum inducere, (quod votis non semper respondet) cum è Ventriculo (ut dictum est de Bile) jam à sanguine abluatur, disjunctis particulis vis stupefactiva infringitur, & perit, atque vim obtinet calfaciendi, & Diaphoretica evadens, per sudorem solvitur ejus operatio. Hæc quàm aptè cum prædictis de Bile congruant, aliorum sit judicium ; fusiùs enim de his differere hujus Loci, ac Temporis non est.

VIDENDA tandem est Hypothesis hæc ut se habeat ad praxin hujus seculi in hoc morbo felicior ; ea autem tota ferè Emeticis, &

D

Astrin-

Astringentibus absolvitur †. Emetica quidem huic malo tollendo conferunt, quòd sub Paroxyfmi initio exhibita, ubi jam maximè urgeat fpontaneus, fed irritus tamen plerumque vomendi conatus, Bilem viscofam diluendo, & Ventriculi nifum promovendo, Bilis ftomachum gravantis furfum excretionem faciant; quæ fe in ejectis per infignem amaritudinem, & non rarò per colorem æruginofum, & ex flavo viridem manifefte prodit; atque exindè urgentis Paroxyfmi materia fubtrahatur, & prefens fuccedat Levamen, & fi in totum non cedat, (quod tamen frequenter accidit) mitiora fiunt fymptomata, nec tantæ durationis.

HIS autem ad tonum Corporis reftituendum nihil valentibus, morbus folitas fervat periodos, nifi (quod aliquoties obfervatum fuit) fibræ per nimium horum ufum fortiùs convulfæ, ampliùs laxentur, atque ita frequentior, aut vehementior recurrat. Hic etiam notatu dignum eft, quòd quo crebrior fit accessio, eo mitior, & brevior; quia ob frequentem effluxum minore copiâ excernitur, quàm cùm ulterius daretur reparandi

† Will. Cap. 4. Pag. 61.

parandi spatium. Ideoque Quartanæ cùm in Tertianas, aut Quotidianas variantur, de violentiâ suâ simul remittunt.

INTER cætera verò, propter felicem in hac febre effectum maximè celebratur Cortex Peruanus; utpote cujus 3j. pervicacissimas Quartanas persæpe distulerit, & non rarò penitus exulare coegerit. Atqui hunc Corticem stypticum cum WILLISIO †, & hodiernorum plerisque censemus; vis autem hæc Astrictoria fibras ductuum biliariorum, cæterasque totius corporis ad justam tensionem reducens, immodicum istum Bilis effluxum sistit, ejusque in Venas Lacteas ad pristinum tonum jam restitutas ingressum prohibet; ita ut quicquid nunc ex lege communi Bilis in Intestina deponitur, per eadem foràs amandatur.

SUNT tamen qui facultatem stypticam Cortici Peruano non concedent, malintque ignorantiam profiteri, quàm ab aliis didicisse. Nul- lum autem ab horum quocunque prolatum in contrarium argumentum mihi hætenus videre

D 2

con-

† Will. Cap. 6. Pag. 72.

contigit, nisi quo se fulcit SYDENHAM, scil. vidisse aliquoties se ægros ab assumpto Cortice tanquàm à Cathartico alvum frequenter dejectisse, cùm tamen nihilominus optatos fortiretur successus †. Huic responderi potest hæc non ideo evenire, quòd medicamentum hoc vi polleat Catharticâ, sed quòd forsan reliquias aliquas Bilis tenaciores Intestinorum tunicis adhærentes offenderit, easque subtilior Corticis pars irritando has alvi dejectiones peperisset, manente ejusdem parte crassiore, suumque effectum fortiente. Sed neque Rationi, neque Experientiæ repugnat, idem purgare, & astringere; quod quotidiana Rhabarbari experientia evincit.

MULTI autem mala graviora à dato Cortice sequuta conclamant; eaque injuriâ Cortici (qui eo nomine semper apud vulgus malè audit) frequenter imputata cum SYDENHAMO censeo ‡. Reipsâ autem ab eo ab Empiricis, & ignaris malè ministrato aliquoties accidisse libenter concefferim. Quippe qui sub initio Paroxyfmi majore etiam quàm unâ vice par est quan-

† Sydenham. Epist. Resp. 1. Pag. 14.

‡ Ibid. Pag. 13.

quantitate exhibere solent ; quo fit ut Bilis jam in Ventriculum recepta, ejusque particulæ acriores membranarum interstitia fibrosa ingressæ, medicamento astringentis operâ arctiùs includantur, & compressæ extremitatibus suis rigidis, & acutis acicularum instar fibras lancient, & terebrent ; undè tam dira, & pervicacia symptomata, quæ aliquando superari nequeunt, quin sint lethalia.

SICUT autem pro nobis militant quæ in hoc morbo profuisse observantur ; ita non parum fidei conciliant, quæ ejus medelæ adversari comperta sunt. Ex his principatum facilè obtinent Phlebotomia & Catharsis, quarum utraque morbum protraxisse, & non rarò fugato recidivum superinduxisse observata est †. Cujus ratio mihi hæc esse videtur ; quòd secta Venâ, unà cum sanguine spiritus educantur, atque ita corporis tonus per Nervorum relaxationem ob spirituum inopiam remittatur.

PER Cartharfin verò (præsertim fortiolem) fibris vis infertur, & facultate aperitivâ omnes
ubi-

† Syden. Feb. Int. Pag. 63, 69.

ubique meatus referantur ; quo fibræ per Astringentia ad justam tensionem reductæ iterum laxantur, atque ita qui antè convaluerant, febrem recidivam patiuntur. Et hìc (ut id obiter notem) liquet, cur Authores Rhabarbarum contra febres tantoperè prædicent, Catharticum licèt sit ; notandum enim est, effectus quos in febre habet, qualitati purganti non deberi, sed styp-ticæ quâ insigniter præpollet.

D E

VARIOLIS ET MORBILLIS,

O R A T I O.

QUÆ fuit Variolarum & Morbillorum antiquitas, & an HIPPOCRATI, & Medicis veteribus five Græcis five Latinis ei proximè succedentibus innotuerint, multorum exercuit ingenia. Hujusmodi tamen disquisitiones mihi videntur non minùs injucundæ, quàm inutiles. Quicquid autem de hac re statuerint alii, omnes morbos iisdem locis, & eodem Victu utentibus familiares, fuisse coævus non dubito. Quia tamen ex his quidam citiùs in scriptis medicis inclaruerint, quàm alii; fortè quia fuerint in locis ubi vixerunt scriptores medici antiquissimi cæteris aut frequentiores, aut periculosiores: idcirco orta est suspicio inter Medicos recentiores, hos etiam priores extitisse.

FATENDUM quidem est, quòd licèt Ecthy-matum, & Exanthematum vocabula apud HIPPOCRATEM, & veteres Græcos frequenter occurrant, nec minùs frequenter apud Latinos Papularum, & Pustularum nomina ; descriptiones ab utrisque traditas, Variolis & Morbillis nostris difficulter aptari. Sed ea erat interrupta apud Græcos scribendi methodus, ut nullibi integram morbi cujusvis Historiam traderent, sed symptomatum rationem eò relegarent, ubi agerent de partibus, quas singula infestarent. Sparsâ hoc modo historiâ acri opus erat ingenio, ut quis dignosceret quòd quæque pertinerent, & quæ quibus competerent ; quod ita certè fieri non potuit, quin sæpe dubitationi locus relinqueretur.

PRIMI Arabes certa, & non dubitanda horum morborum indicia scriptis prodiderunt ; quorum tamen descriptiones, si ad examen revocentur, in multis deficere & à nostris discrepare videbuntur, uti nunc apud nos sæviunt hi morbi. Sed habenda est ratio regionis, victûs, & regiminis medici ; quæ omnia plurimum possunt

sunt in immutandis morborum phænomenis. Sed quoniam quæstiones hujusmodi ad præsens Institutum nihil conferant, missas faciemus, & ipsos morbos, ut nunc apud nos vulgò se habent, spectabimus ; & primò Variolas examini subjiciemus.

VARIOLÆ sparsim hìc aut illic aliquos quovis anni tempore invadunt, sed exeunte Vere, aut ineunte Æstate ut plurimùm apud nos increbrescere incipiunt, & crescente solis fervore indies latius serpunt & immaniùs ferociunt ; adeò ut pro ratione æstûs Cœli intendi & remitti videantur. Superveniente tandem frigore Brumali, rarescunt admodùm, & dissipantur. Intelligendum hoc tamen de annis communibus ; est enim ubi favente peculiari aeris constitutione per hyemem sæviant æquè ac si flagraret Sirius.

VARIOLÆ Infantes & Juvenes præcipuè infestant ; maturæ ætatis viros non ita frequenter : Senes rariùs. Quibus imminet, iis Caput & Dorsum vehementer dolent, Pulsus frequens est & vehemens, Membra ingravescunt, Somnus obrepit, ægrotat Ventriculus, vomituriunt, rigent, horrent, & intensè incalescunt. Si Infans hoc

E

morbo

morbo corripitur, eum frequenter comitantur Insultus Epileptici, & Diarrhœa: fin Adultus, in sudores proclivis admodum est, & sanguis è Naribus frequenter prorumpit, præsertim si ferveat æstas, & æger vino liberaliùs indulgere soleat.

HÆC sunt usitata Variolarum Discretarum symptomata, quæ habent & Confluentes communia ; sed in his atrociùs sæviunt omnia, quàm in illis, pro morbi more & gradu, quo solo distinguuntur. Post dies tres aut quatuor hoc modo exactos, aut evanescunt, aut admodum leniuntur memorata symptomata, & è Cute Faciei, Colli, Pectoris, & Manuum præcipuè, emergunt sparsim tenuissimæ quædam pustulæ subrubræ, ad molem punctulorum acicularum, quæ postea per totum Corpus conspiciuntur frequenter, & incrementum accipiunt ad octavum usque diem. Interea paulatim intumescere incipit Facies, & Fauces, & Guttur dolore infestari, & vox rauescere. Circa diem ab eruptione nonum, pustulis jam ad apicem elevatis, rubescunt in facie & manibus pustularum interstitia ; tumefactæ & distentæ Palpebræ ita connivent, ut æger plerunque luce privetur ;
stillant

stillant Oculi & Nares, ipsæque pustulæ asperescere & albescere, seu potius ad colorem luteum accedere, quod in horas magis atque magis fit ad diem undecimum, quando justam maturitatem & molem adeptæ exarescere, & decidere incipiunt. Decidentibus pustulis succedunt squamulæ furfuraceæ, quas plerunque excipiunt foveæ in Cute. Hæc sunt solita Variolarum Phænomena, modò ritè progrediantur, & sint de genere discreto.

SIN confluant, graviora hæc omnia, & discriminis pleniora. Citiùs erumpunt Exanthemata, sed tardiùs maturescunt, & ad metam proveniunt. Febrem, (quæ hoc genus per totum morbi decursum sequitur) comitantur Ptyalismus & Tussis. In quibus præcipuè differt à genere discreto.

SUNT etiam & alia Symptomata, quæ non rarò his morbis superveniunt. Sed quia de morbi naturâ non esse videntur, pro Anomalis sunt censenda. Hujusmodi sunt Maculæ purpureæ, lividæ, aut nigræ, Sanguinis mictus, Phrenitis, Affectus Comatosus, Urinæ Suppres-

fio, & Diarrhœa in adultis. Possunt & alia Variolosis contingere Phænomena; quia tamen rarò observantur, hæc mihi videntur Variolarum Historiam tam genuinam, quàm anomalam fatis complecti. Hæc qui semel est passus, rarissimè iterum experitur.

PLERIQUE Authores qui hunc morbum tractârunt, tam diri mali fontem anxie quæsi-
verunt, quod ferè omnes semel laceffit, & vix
quempiam bis. Hujus Phænomeni gratiâ, A-
rabes finxerunt labem quandam ab impuro san-
guine materno proli in Utero impressam, quæ
semel esset per hos morbos expurganda: ad
quod figmentum explicandum sanguinem esse
instar *Musti* aiunt, & non nisi per Variolas aut
Morbillos defæcatum reddi; ut Vinum fermen-
tatione eget, ut depuretur. Hoc Commentum
pluribus quàm dignum est refutant FERNELIUS
aliique ante & post eum quamplures. FER-
NELIUS, quem secuti sunt plures, (rectè qui-
dem ut opinor) hos morbos inter Malignos &
Pestilenciales recenset; & causam eorum com-
munem in Aerem conjicit. Ulteriùs tamen
rectâ viâ pergere nescius, fit devius. Cùm enim
quod-

quodnam & unde efflet hoc aeris vitium illi non satis constaret, ad malignam quandam syderum permissionem confugit. Hæc Hypothesis utcunque precaria, & Philosopho indigna, veniam forsan mereretur, siquidem modum, & media naturalia, quibus quicquam fieret, exponeret. Sed hac causâ (ita ut est) gratis dictâ, omnia manent æquè perplexa & obscura ac antea; nullum Phænomenon explicatur, nihil Lucis in Physicâ, nihil ufûs in Medicinâ posset exindè deduci, licet esset vera; cujus tamen contrarium fusiùs aliis olim ostensum fuit, quàm ut hoc negotii nunc mihi incumbat.

CONCESSI nuper FERNELIUM rectè horum morborum seminum in Aere collocâsse, quod etiam sentio de omnibus morbis, qui per Intervalla, sive ea sint breviora, sive longiora, epidemicè invadunt. Quapropter hîc haud ineptum fore arbitror, si breviter inquiramus quid Aer huic, & hujusmodi morbis conferat. Quamvis enim Atmosphæram medicari, aut Aeris vitia corrigere nostri non sit arbitrii; Philosopho tamen indignum non est, nec Médico inutile, nôsse ambientium Corporum qualitates, è quibus pendet

pendet perpetuò humani corporis fatum : quò meliùs possint fragile & imbecillum hoc onus contra Cœli injurias, & Tempestatum inclementias munire, & tutari.

Hoc autem quò rectiùs expediamus, exponendæ priùs sunt rationes aliquot, quæ me præcipuè movent, ut credam hos morbos Aeris esse progeniem. Prima est, quòd certis temporibus fiant Epidemici, passim quamplurimos in eâdem Urbe, vel Regione invadentes, qui neque temperamento, neque victu, neque vivendi ratione conveniant ; & quibus vix quicquam præter Aeris commercium est commune. Secunda, quòd sint contagiosi etiam absque contactu frequentissimè infestantes plures eorum qui sub iisdem tectis commorantur, licèt non aliter ad se invicem accedant. Tertia, quòd Cœlorum constitutioni obsequi observentur, & nunc efferari, nunc compesci pro mutationibus in temperamento Aeris. Plures possem de eodem argumento rationes proferre ; sed brevitatis causâ taceo, ut properem ad rem majoris momenti, (viz.) quo modo Aer Corpora nostra ita afficiat.

Hic autem velim, nequis me tam temerarium credat, ut nodum hunc adeò difficilem meis viribus perfectè solutum iri confidam ; qui accurata tot tantorumque virorum delassaverit ingenia. Cum honoratissimo nostrate Boyleo, ortum morborum hujusmodi ab halitibus quibusdam sulphureis per Atmosphæram volitantibus deduco. Sive autem hi sint Arsenicales, five alterius cujusvis Generis Sulphurei, id certò statuere nolo. A causâ tamen Sulphureâ oriri, ipsa Morbi Indoles, & anni tempus in quo plerunque grassatur manifestò indicant. Quod tamen ut apertiùs pateat, singula Variolarum phænomena seriatim trutinemus, quæ Arsenici, & ejusmodi sulphureorum effectibus satis aptè congruere videbuntur.

HYPOTHESI huic nostræ multùm favet anni tempus in quo sæviunt Variolæ, Æstas scilicet, quando halitus sulphurei ubique per aerem redundant ; quod satis probant Fulgurum frequentia, & Meteororum in Aere per totum hoc tempus accensorum copia. Negandum quidem non est, quosdam etiam hyeme Variolis laborare ;
2
sed

sed non defunt etiam hyeme halitus Sulphurei, qui licet parciores quàm in æstate vagantur, sufficiant tamen, ut corripiant Corpora priùs ad accipiendam labem benè disposita. Novimus etiam ubi hyeme inciperent, & sævirent epidemicè hic & alii morbi Pestilentiales; sed observantur etiam consequi Cœli mutationes intempestivas, Terræ tremores & motus, aut aliquid simile, quæ semper comitantur morbi hujus indolis, & quorum soboles esse meritò dicuntur, five mitiores, five graviores fuerint.

SI verò conferamus Variolarum Phænomena cum effectibus Arsenici quæ nobis notare licuit, ejusdem esse prosapiæ deprehendemus. Arsenicum enim, five ejus tantillum in potu assumatur, five Vapores in Respiratione trahantur, Membra omnia dolore tentat, Caput verò, & Lumbos præcipuè, Vomitus ciet immanem, Sanguinem fervere, & Exanthemata per totum Corpus efflorescere facit. Quæ omnia sunt genuina Variolarum Symptomata. Ne verò dictorum fides sit suspecta, duas è pluribus, quas novi, Historias subnectam, quibus omnem amotam fore suspicionem confido.

MERCATOR quidam mihi notus post hauſtam in Oenopolio Vini libram tantum unam, nocte mediâ fiti & inquietudine cum dolore Capitis, & regionis Lumbaris ſummo, & vomitu vexatus erat. Hinc cum Vinum in ſuſpicionem veniret, ſervum miſit quæſitum quo modo ſe res haberet, inter cæteros Compotatores, qui omnes eodem modo decumbentes inventi ſunt. Hæc mala ſecuta eſt febris, quæ tandem ſoluta eſt erumpente per totum corpus Puſtularum copiâ. Idem cæteris omnibus evenit. Harum Puſtularum quafdam ipſemet recentes vidi, cum veſtigiis aliarum quæ jam emarcuerant. Variolis erant latiores, & ſubjectæ carni altiùs infidebant, circa marginem ruſcebant, & in apicem colligebatur Pus flavescens, quo rupto ſanatæ fuerunt. Incidebat Arſenici ſuſpicio, quo utuntur frequenter Oenopolæ ad Vina defæcanda, etiam abſque periculo, modò ritè priùs repurgetur Vinum, quàm in uſum proferatur.

ALTERA Hiſtoria eſt Pueri, cui ignis curam commiſerat Pharmacopola (mihi etiam familiaris) dum aliquid moliretur ex Arſenico ſublimate.

mato. Cui dum incautiùs accederet Puer, fumos naribus excepit, qui, ficcato nimis luto, per juncturæ Vasorum rimas parcè evaderent. Brevi puer de dolore Capitis & Dorfi vehementi conquestus vomituriebat; Herus causam tam improvifi mali rectè conjectans, Puerum lecto ablegavit, & varia propinavit Medicamenta, quæ tunc illi utilia videbantur. Insequente die confertim eruperunt Variolæ, quibus periodum suam pro more solito absolvantibus Puer feliciter est liberatus. Hoc mihi ut rem mirabilem retulit Herus, Vir fide dignus.

HIS positis Variolarum Phænomena omnia haud difficulter solvi possunt. Receptis enim in Sanguinem ope Respirationis particulis sulphureis, motus excitantur turbidi, quibus vasa sanguifera, & partes Corporis omnes quæ sunt extensiles, tensionem validam patiuntur, undè dolor iste acerbus oritur, præsertim in Capite, & spinâ dorfi, ubi copiosa sunt vasa sanguifera, & membranæ admodum sensiles. Durante autem hâc tam forti sanguinis effervescentiâ, extruditur misti pars aliqua tenuior per glandulas quascunque patentiores & laxiores, quales sunt Ven-

Ventriculi, quas ferè continua exercet humoris alicujus separatio; hinc producitur Vomituritio illa immanis, quæ hoc morbo decumbentes ante eruptionem ferè semper affligit. Inter hunc nifum distentis Cerebri vasis, & Nervorum principia comprimentibus, justa Spirituum distributio impeditur, & inducitur Somnolentia, seu potius Affectus Comatosus; & in Infantibus Insultus Epileptici: compressis enim omninò teneris quibusdam eorum Nervis, Spiritus confertiores per alios ruunt, & Spasmos excitant. Tandem autem reclusis tam diuturno nifu, & impetu violento Glandulis cutaneis, eructatur primò humor tenuis, serofus, & acris; donec laxiores usu factæ Glandulæ, particulis magis crassis & oleosis liberum etiam exitum permittunt; sedantur jam & Dolores & Vomituritio, morbi fomite è corpore excluso. Hic tamen moram injicit Cuticula, & hærescit humor, donec putrescens illâ erosâ exarescat, & decidat.

HAUD tamen omnibus ita feliciter absolvi contingit; duriora multo patiuntur, quos urget fatum gravius, sive hæc Contagio fortiori, seu Regimini inepto ortum debeant. Est enim

ubi Sanguis plus nimis solutus ita attenuetur, ut integer per patula Glandularum Cutanearum foramina prorumpat, & Maculas sub Cuticulâ purpureas, aut pro tenuitatis gradu liventes, vel nigras, urgentis fati ut plurimùm præcursores emittat. Solutio enim adeò æqualiter Sanguine, perit motus ille intestinus functionibus animalibus omninò necessarius. Idem accidit, si fortè laxiores Renum glandulæ sanguinem sincerum effluere permittant, & miçtus superveniat cruentus. Neque feliciùs illis cedit, quibus flaccescunt nimium Pustulæ; refluus enim humor pridem emissus & jam putrescens Sanguinis crasin æquè disperdit, & Animalium saluti æquè est fatalis.

SUPEREST adhuc ut dicam qualis mihi incidit suspicio, cur semel tantum plerosque laceſſant Variolæ; atque hoc non ideo fieri existimo, quia aliquid à partu in Corpore deliteſcat, quod eſſet expurgandum; ſecundum Arabes: ſed quia poſt hunc morbum pori Glandularum & Cuticulæ magis hient, quàm antè; atque eâ de cauſâ Virus peſtilentiale (quicquid tandem id ſit) faciliorem habeat exitum; nec in Cute iterum moram patiatur. Hanc Conjecturam non
parum

parum firmant quæ de hoc morbo observantur; primò quòd iis confertiores contingant quibus Cutis & Cuticula est densior, & Faciem & Manus præcipuè infestent ubi densior est Cuticula, & pori sunt strictiores, propter Aeris commercium & frequentem frigidorum contactum. Secundò quia vix unquam detumescat Facies ad molem pristinam, quod accidit propter auctam Glandularum magnitudinem, undè necessariò ampliantur earum cavitates. Tertiò quia faciliùs sudant, præsertim in Facie, qui Variolis frequentibus laborârunt, post quàm antè. Et denique quia perit Cuticulæ nitor, & elegantia, quæ ex pororum minutiâ præcipuè pendebant.

RESTAT tandem post spectatas tot inevitabiles æumnas, quibus miselli succumbimus, post varia fragilis hujus Machinæ discrimina, ut Regimen medicum, & medicandi methodum aliquantisper speculemur; quibus (pro viribus) labile hoc onus suffulciamus, perituri Corporis ruinas refarciamus, & adversùs hæc pericula (ut possumus) muniamus. Regimen quod spectat ad arbitrium est prudentis Medici; si enim justo
 2
 cali-

calidiùs tractetur æger, aucto per calorem nimium Sanguinis impetu, debito tenuior redditur, & periculum est Hæmorrhagiæ, Mictûs cruenti, vel Macularum sanguinearum. Sin frigidius, retunditur nimis ferventis Sanguinis impetus, & firmatur Glandularum Cutanearum tonus, ut humori per poros eliminando non satis pateant; undè Pustularum flacciditas & subfidentia, Diarrhœæ periculosæ, dirumque Symptomatum agmen, & tandem Mors.

SAPIENTIS igitur est Medici, infelici tantarum miseriarum scaturigini præcavere, & principiis obstare; fera enim est Cura quæ post incrementum mali accedit: ubi nihil Medico agendum superest, quàm ut effervescentiam Sanguinis depuratoriam promoveat aut retundat pro re natâ. Cumprimùm igitur incidit Variolarum suspicio, everrendæ sunt Emetico primæ Viæ, & si Sanguis nimis effervescat, mittendum ejus paululum, præsertim in adultis junioribus; & si satis tempestivè id fieri potest, Catharticum exhibeatur. A Diaphoreticis est abstinendum, nisi ubi Pulsus non est vehemens, nec Calor intensus, quia Sanguinem ni-

mis calfaciunt, & exagitant. Hâc methodo elui posse hanc labem mihi videtur, aut saltem levare. Sed observandum est, hæc non fieri debere post manifestam, nedum copiosam Pustularum eruptionem ; quia resorberetur in Sanguinem materia priùs extrusa. Hujus methodi possem Historias aliquot satis felices subnectere, sed dudùm sum justo prolixior.

DE

D E

PHARMACIA HODIERNA, O R A T I O.

PHARMACIAM omnem infidæ valetudinis conditioni ortum suum debere, non est dubitandum. Cùm enim observarent Homines statum Corporis sui esse admodum incertum ; undique prospicere incipiebant, ut quibus possent mediis, tam contra Cœli & ambientium Corporum injurias, quàm contra Victûs inidonei noxas, & mali Regiminis errores sese tutarentur, & defenderent. Hinc factum est, ut ubi quisquam se malè haberet, à vicinis, propinquis, & proximè occurrentibus methodum victitandi, & morbi remedium (siquis fortè eodem vel simili laborâssæt) exquireret. Rudis adhuc Medicina apud vulgus habuit

buit incunabula. Hinc excepit Sacerdos, & inter sacra est repositum, quicquid Corporis medelæ inservire observatum fuit; undè tam Corporis quàm Animæ tutelam, & patrocinium sibi vindicavit. Donec ejus necessitas, viros ingenio, & literis pollentes in sui studium alliceret; atque indè sub ÆSCULAPIO, MACHAONE, aliisque eorum sequacibus in artem præstantem adolevit.

POST hos meritò inclaruit Divinus ille senex HIPPOCRATES, Medicorum & Medicinæ Pater, & Patronus; cujus Manes non injuriâ adhuc religiosè veneramur, & qui solùm creditur mortalis, quia est mortuus. Hujus sacras si pervolvamus reliquias, in illis verum scientiæ Medicæ promptuarium, & genuinam medendi methodum inveniemus. Sed proh dolor! quod durum est tantorum ingeniorum fatum, suspirat Interpretum numero. Qui (ut vulgus Interpretum solet) tam puri, & perspicui fontis lutum solùm agitando movent, eumque turbidum, & obscurum reddunt.

SIMPLICEM excoluit summus hic Vir & Medicinam, & Physicam; ejus enim Animum non corruperat arguta verborum subtilitas, aut luxuriosa Commentorum perplexitas. Postquàm tradiderat Morborum ferè omnium Historiam, quæ huc usque est Medicorum Lumen & Opprobrium; methodum investigandi Pharmacorum virtutes medicas paucis expedit, quod optimè fieri existimat explorando Vegetabilium, & partium Animalium qualitates manifestas, sapores scilicet, & odores, & observando eorum in Corpora Animalium effectus. Nondum enim Mineralium Agmen in usum venerat medicum. Hujus vestigia secutus est CELSUS, Medicus Latinus, & sui Temporis meritò clarissimus.

AT ubi luxuriantia quorundam Philosophorum ingenia figmentis Physicis speciosis, & argutis Verborum reticulis hominum mentes implicaverant, fordere cœpit prisca hæc & simplex methodus. Hinc variæ ortæ sunt Hypotheses & absurdæ, quibus quisque sibi placeret, & pro lubitu hoc dicaret Capiti, illud Cordi, hoc Hepati, illud Ventriculo, sic & Lieni, cæterisque
Cor-

Corporis partibus amicitias, & inimicitias statuerebat. Hæc omnia proles sunt quatuor primarum qualitatum, quarum in excessu, aut defectu totum ferè negotium confici credebatur Antiquitas.

HANC ob causam Compositiones omnes (quas magnas vocant, ob eximias quas credebant earum virtutes) ingreditur penè totus Apparatus medicinalis. Quia in his Compositionibus toti corpori prospiciebant, quæ omnibus partibus credebantur specifica admittebant; sed quoniam ex his quædam partibus peculiaribus adversari putabant, adhibebant alia quæ ea corrigerent, & vim earum noxiam retunderent. Itidem si quid Caloris aut Frigoris excessu superare videbatur, admista sunt Corrigentia, quæ vim ejus reprimerent. Hinc facta est farrago è simplicibus tam diversæ indolis conflata, ut dum Medicus expectat quid singula efficiant, universa nihil agant. Est etiam & altera miscendi ratio, quæ Purgantia præcipuè spectat, & hæc est de quatuor humoribus Hypothesis, cujus gratiâ Cathartica peculiaris singulis addixerunt Veteres; & hinc omnis generis Cathartica

thartica iisdem Formulis committunt, quò meliùs omnium humorum purgationi prospiciant. Sic quia observata sunt ab antiquis Purgantia non satis benigniter operari, quæ erant ut plurimùm ex validioribus; qualia excitant tormina; ideo admiscebant Aromatica aliaque ad expellendos flatus, & tollendam Purgantium acredinem, & malignitatem, & ad subsidium Cordis, & alia ejusmodi Commenta quamplurima.

HUJUSMODI Receptulorum exemplaria quædam non parvi nominis nobis transmissit GALENUS, qualia sunt Mithridatium Damocratis, & Theriaca Andromachi; de quâ plura tradit, quàm aut rationi, aut experientiæ conveniunt. Sunt & alia ejusdem Authoris, sed plura debemus Arabiæ, terræ Medicamentorum feracissimæ. Cujus Medicis receptula debemus pleraque, quibus hodie turget Pharmacopæa nostra.

NON possum igitur satis mirari, cur Medici quibus jam diu non solùm malè fundari visa est hæc sententia, sed ridicula; qui Compositiones istas æquè inefficaces ac inconcinnas putant, adhuc tamen iis utantur. Quid enim expectandum

dum est à Medicamentis in quibus concurrunt tot & tam diversæ indolis simplicia, ubi aliud alteri contrariatur, & quicquid hoc efficeret, illud moratur. Aperitivis Adstringentia immiscentur, Calidis frigida. Siquidem autem quicquam possent hujusmodi Pharmaca, quis potest ejusmodi effectuum rationem reddere, aut unquam, nisi empiricè imitari; ubi quid sit quod effectui fortiatur nescit?

SI enim, ut vult SYDENHAMIUS, aliquid quasi simplex ex omnibus unitis oriatur, quod Theriacæ præstet effectus; nescimus adhuc quale id sit & quos præstet effectus; nisi quòd Opii vires manifestò experiamur in Theriacâ, cujus tamen rei ratio inextinguibili Opii naturæ debetur: quæ si potuisset extinguì, inefficax superfuisset remedium. Quod tamen ut apertius pateat, spectemus ipsum Theriacam componendi modum, & Inventoris in eâ intentiones medicas.

HUJUS medicamenti Basis est Vipera undè nomen habet, cujus partes præcipuæ, Caput scilicet, Adeps, & Viscera, propter inanem Veneni

neni metum abjiciuntur. In his tamen major abundabat Salis & Olei Volatilis copia, è quibus pendet tota hujus Animalis virtus medicinalis ; sed quasi hoc non sufficeret, Sal & Oleum ex carne etiam per Coctionem sunt elutrianda ; undè vix magis medicinalis evadit quàm Anguillæ caro.

U T verò intendatur Viperarum vis alexiteria, adjicitur & Scilla etiam cocta, quæ in medicamentum sumenda est ad granum unum vel alterum, quæ in cibo comeditur vulgariter ad libras. Post has longus numeratur Aromatum, & Aromaticorum Catalogus, ad incidendos & attenuandos humores crassos. Hæc à tergo premunt Balsamica, ut Styrax Calamita, Terebinthina, &c. quæ legantur ad remolliendam Viscerum duritiem. His insequuntur Adstringentia ad reprimendam tenuitatem & ficcitatem aliorum, & Viscerum tonum firmandum. Additur deinde Opium, ad retundendum omnium calorem, & impetum. Ingrediuntur Castoreum Crocus & Myrrha, ad tollendam Opium vim narcoticam & nocivam. Seminum opus est ut flatus discutiant, & Venenum educant per urinam.

nam. Vinum tandem horum omnium virtutem ad Cor rectâ viâ perducere oportet.

HÆC sibi quàm pulchrè cohæreant, quàm bellè conveniant, videat quicumque etiam adhuc intentionum tam ridicularum usum credere potest. Si enim dialecto eorum (qui hæc & hujusmodi mirantur) uti liceat, secundum dictas intentiones Attenuat, Incrassat, Aperit, Astringit, Discutit, Figit, Siccat, Humeſcat, Calfacit, Refrigerat ; denique omnia agit, utcunque sibi contraria, hoc Medicamentum. Sufficiat igitur ad præſens institutum medicamento tantoperè celebrati examen, & in usum tam frequentem hodiè vocati. Plura hìc ad incudem revocare, longum eſſet, & Cramben bis coctam ſolùm repeteret. Omnes enim Veterum Compositiones Majores ex iisdem ferè conſtant ; Minores ejusdem ſunt farinæ.

Hìc autem ineptum fore non arbitror, obiter notare, pleraſque Compositiones Purgantes, quæ etiam in noſtris Pharmacopæis retinentur, cujuſvis generis Cathartica, cum variis Aromatis & Carminantibus (quæ vocantur Corrigentia)

complecti. A quibus sæpè excitantur tormina, quando sola Cathartica satis benigniter operari potuissent. Carminantia enim semper flatus elevant, & ubi per vim Catharticorum, humorum copia in Ventriculum & Intestina egeritur, Aromatum ope ita subtiles redduntur, & tanta excitatur flatuum vis, ut Ventriculus & Intestina miserè distendantur, & discrutientur.

CUM in tam perplexâ rerum tam diversæ indolis farragine, intentiones confusæ, incertæ, & obscuræ admodum sint; famæ suæ, & ægrorum salutis malè consulit Medicus, qui secundum rectam rationem Medicinam facere studet, si tam infidis nitatur auxiliis. Si enim non novit Medicus Medicamenta per certas intentiones, Indicationibus morborum respondentes; quid præstat ille plusquam quivis Empiricus circumforaneus, aut Vetula quævis Medicinam factitans solet? Sed etiam contra usum horum suadent summi quorundam simplicium effectus, uti Opii & Corticis Peruviani, & Præparationum quarundam Chymicarum. Quarum frequens successus præ Pharmacopæalibus, tantam existimationem Chymicis dedit, ut quivis Agyrta
apud

apud vulgus Medicum quemvis sapientissimum provocare audeat.

FATENDUM quidem, non rarò Medicaſtros hos damnum facere, & ægros in Vitæ discrimen conjicere, immò frequenter mortem propinare ; ſed hoc audaci eorum inſcitiae ferendum eſt acceptum, qui neque medicamento vires, aut indolem, neque ægri robur, aut temperiem, aut morbi naturam noverunt. Atqui negandum non eſt, eos aliquando favente fortunâ morbos amovere ; quos nec ſapientiffimus quidem Medicus per imbecilla Pharmacopææ Arma debellare valeret, auxilio Simplicium potentiorum, quæ vel Natura vel Ars peperit deſtitutus.

NEQUIS tamen me tam inſcium credat, ut miſceri etiam aliquando medicamenta cum fructu & ratione non agnoſcam. Eſt enim ubi rei ratio hoc poſtulat, aut quia ſunt acriora Medicamenta, quàm ut per ſe ſumi poſſint ; ſed vehiculo aliquo leniori ſunt diluenda ; aut quòd ſint nimis ingrata, & Palato gravia ; & gratioribus ſint contemperanda ; aut quoniam formâ ſint incommodâ, & cum mediis idoneis

H

ſint

sint ad magis commodam redigenda ; aut denique quia pluribus indicationibus simul satisfacere sit necessarium. Nulla tamen harum necessitas in præparationibus Pharmacopææ occurrit.

SPECTEMUS igitur quis Pharmacopææ usus verus est, & quorsum instituitur. Mihi verus ejus finis, & intentio videtur esse, ut sit promptuarium Remediorum probatissimorum extempore non parabilium. Ut quæ frequens usus postulaverit, præstò sint ad arbitrium Medici. Non ut sit Receptulorum, & Nugarum plusquam anilium Collectio & inepta miscela. Miscendi enim ratio, ubi commodè quicquam fieri potest extempore, prudentis Medici judicio & arbitrio permitti debet. Non enim illi committenda est aliorum salus, qui Artis suæ instrumenta, & methodum tractandi non satis novit.

SED videamus quo usque huic fini conveniat Pharmacopæa nostra, & in eâ sola spectabimus Remedia interna ; atque ea sunt, Aquæ Simples, & Compositæ, Balsami, Confectiones, Decocta, Electuaria, Elixiria, Extracta, Olea,
Pilulæ,

Pilulæ, Pulveres, Salia, Spiritus, Syrupi, Tincturæ, Trochisci, & Vina Medicata. Ex his extemporè parari possunt & debent Confectiones, Decocta, Electuaria plerâque, Pilulæ, Pulveres (de Compositis loquor) & Trochisci; reliqua non possunt. Sed horum quamplurima pompam ostentant, usui verò non inserviunt; utpote quorum pars octava rarò paratur aut prostat in Officinis. Hujusmodi sunt Aquæ & Spiritus tam Simples quàm Compositæ, Confectiones, Electuaria, & Syrupi. Sed & cæterorum plerâque non modò inconcinne, sed etiam absurde componuntur.

SED modò consentirent Medici, posset aliud genus Pharmacopææ in usum aptari, quod non modò esset efficacius, sed Medicorum & humani generis utilitati magis congruum. Si enim operosas has nugas rejicerent, quibus freti Tyrones Medici plures, & etiam ex senioribus nonnulli fiunt de Materiâ Medicâ minùs solliciti, & Pharmacopolæ in praxi (quam nunc ferè totam occupant) audaciores, posset res ita componi; ut illi fierent rei medicæ magis studiosi; hi autem in praxi minùs audaces, & Medicorum
pla-

placitis magis obedientes. Si enim abstinerent ab usu tot Aquarum, Confectionum, Electuariorum, & Syruporum inanis Medicinæ suppellectilis, & in eorum locum supponerent Vegetabilium Species, Succos concretos, Tincturas, Salia, & Olea Effentialia, pauculæ sufficerent Aquæ, eæque ex optimis, pro vehiculo medicamenti, & unicus è Saccharo confectus Syrupus. Atque ita possent ad arbitrium Remediorum Formulæ tam elegantiores, quàm efficaciores concinnari.

F I N I S.

o. o. 6

+